Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel:	Historische Sammelhandschrift, dt.Text: Beschreibung Jerusalems – Nürnberg, STN, Cent. III, 93
Signatur:	Cent. III, 93

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

ytalia defecit a fidelitate sua et regni germanie cuius regni germanie ipse rex erat. Cessavit
in regibus germanie scilicet sorte ytalia cum imperio ut in superioribus plene visum est. Regnum
aut germanie habuit reges de genere dicti karoli descendentes quousque defecit genus
vel saltem potentes generis ipsorum in dicto regno quo genere deficiente principes et nati maiores
francorum alamanorum bavarorum et saxonum qui representabant totum populum germanie elege-
runt henricum primum ducem saxonie in regem germanie ac francorum ut ex prius dictis in
c. ij. predicto apparet. Et sic facere poterat de iure gentium ex quo iure etiam regna condita sunt
scilicet quod quilibet populus potest sibi regem eligere ut ex hiis que leguntur et notantur ff. de iusti. et iur.
l. ex hoc iure. Et deinde otto primus filius eiusdem henrici ut etiam visum in eodem capitulo ij. recu-
peravit ytaliam ipsi regno germanie a quo cuiusque sorte defecerat. et factus fuit post hec im-
perator. et ex tunc citato incepit regnum germanie cum ytalia et imperio deberi ex successione
generis usque ad tempora ottonis tercii. cuius tempore fuit institutum quod per certos principes germanie scilicet per
officiatos imperii eligeretur imperator ut etiam ex supra dictis plenius patet. Hiis itaque premissis
primo probabo veritatem dicti articuli generalis de amministratione omnium provinciarum regni et imperii. 2o
specialiter de amministratione germanie. Primum sic probatur. Cuilibet populus carens rege potest sibi
regem eligere de iure gentium ex quo regna iure condita sunt ut iam dictum est per l. ex hoc iure.
ff. de iusti. et iur. Et ex consequenti potest electus talis eodem iure ex tali electione populi regnare nomine
et re quod non est aliud nisi nomen regis assumere et iura et bona illius regni amministrare
ut de se patet. Sed in regno et imperio cum non habeat locum hodie successio generis mortuo
rege vel imperatore populus germanie ytalie ac aliarum provinciarum regni et imperii
caret rege. et principes electores racione iam dicte institutionis habent eligere regem seu impera-
torem representantes in hoc omnes principes et populum germanie ytalie ac aliarum provinciarum
et terrarum regni et imperii quasi vice omnium eligendo ut ex dicendis infra in capitulo proximo plenius
apparebit. Ergo concluditur quod electus per eos concorditer ex electione huiusmodi potest de iure gentium
licite nomine ac re ipsa regnare. quod non videtur aliud nisi nomen regis assumere ac iura
et bona regni et imperii amministrare ut predixi. Ex hoc iure gentium credo vitiatum dictum
beati jeronimi dicentis quod exercitus facit imperatorem ut in canone xciij. di. legimus. quod exercitus
seu populus romanorum eo tempore representabat totum populum romano imperio subiectum. Unde etiam facere
poterat imperatorem sicut hodie principes electores racione dicte institutionis populum huiusmodi representant.
2o potest idem probari alio modo et sic. Id quod subrogatur et succedit in locum alterius rei debet retinere
ac imitari ius et naturam illius rei in cuius locum succedit et subrogatur ut ff. si quis cau. l.
si eum § qui iniuriarum. ff. de condi. et de mo. l. filie § ticia. ad idem extra de vo. et vo. re-
dem. c. magne § cum i. de bap. maiores post prin. cum simi. concor. et hoc est tam scripto iure
canonico et civili satis dictat ratio naturalis apud omnes. Non posset dici aliquid proprie succedere
in locum alterius rei si non haberet ius et naturam illius in cuius locum succedit et subrogatur ut de
se notum est. Et idem videtur esse de iure gentium quod naturalis ratio dictat apud omnes id est de iure
gentium ut ff. de iusti. et iur. l. omnes populi et insti. de iur. na. gen. et civi. § quod vero.
Sed electio regis et imperatoris que fit per principes electores successit et subrogata est
in locum successionis generis que per multa tempora fuit in regno et imperio ut supra dictum est
in c. ij. Retinebit ergo ista electio ius et naturam successionis generis. Sed indubitatum est quod tempore
successionis generis in regno et imperio filius statim mortuo patre ex ipsa generis succes-
sione assumpsit nomen regis et amministravit iura et bona ~~regni et imperii~~